



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1679

Ejusdem Alexandri epistola ad Decanum & Capitulum Ecclesiæ Parisiensis,
de residentia Canonorum forinsecorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14735

fui testes conscripti sunt, ipsos auctoritate nostra & tua moneas & inducas ut amore justitiæ testimonium perhibeant veritati. Sicut enim periculosum est iniquum falsumve proferre, ita quoque bonum est veritati testimonium perhibere. Ad hæc, dilectum filium nostrum magistrum Paganum tibi devotum admodum & fidelem providentiæ tuæ propensius commendamus, rogantes ut ei benefacias & habeas multipliciter commendatum, quem scis pro suo negotio tanto tempore apud nos moram fecisse. Negotium enim pro quo eum misisti citò satis & compendiosè expedivimus. Datum Beneventi v I, Kal. Septembris,

*EIVSDEM ALEXANDRI
epistola ad Decanum & Capitulum Ecclesiæ
Parisiensis, de residentia Canonorum fo-
rinfecorum.*

Alexander Episcopus servus servorum Dei di- An. 1170:
lectis filiis B. Decano & Capitulo Parisiensi salutem & apostolicam benedictionem. Ea quæ ad incrementum Ecclesiarum & venustatis spectant decorem, juxta officij nostri debitum studiosius prosequi volumus, & iis promptam curam & diligentiam adhibere optamus quæ ad vestrum & Ecclesiæ vestræ cognoscimus pertinere profectum. Ex litteris autem quas nobis devotio vestra transmisit evidenter accepimus quòd quia quidam vestrum alienis insistentes negotiis, rarò Ecclesiæ vestræ sui præsentiam exhibebant, & ceteri eandem licentiam absentandi se velint habere, communi consilio illos Canonorum vestrorum forinfecos ordinastis qui per medietatem anni in Ecclesiæ vestræ servitio assidui non fuerint,

ita tamen quòd circa quatuor marcas argenti de prebenda sua annuatim recipiant, eis exceptis qui in servitio nostro vel Regis Francorum permanferint, & hoc sub anathematis interpositione firmastis. Videmus nos paci, quieti, & utilitati vestræ, sicut diximus, paterna meditatione providere volentes, præscriptam institutionem, sicut à majori & saniori parte Capituli facta est, ratam & firmam habemus, & ne quorumlibet valeat præsumptione mutari, eam auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus; statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Tusculani 11. Idus Decembris.

NICOLAI MONACHI
Clarevallis epistola ad Henricum
Comitem Campanie.

Circa an.
1170.

Serenissimo Principi & carissimo Domino suo Henrico Comiti Trecenti frater Nicolaus vita peccator, habitu monachus, à salute salutem. Philosophus dicit: *Ego tunc humanarum rerum statum arbitror esse felicem cum aut Philosophos principum aut Principes philosophari contigerit.* Viva sententia, nec modò hominis ore formata, sed Dei. Quid est enim homo sine litteris nisi sepulcrum animæ rationalis viventis & sepultæ? Litteræ viæ sunt ad honestatem, & honestas fructus est litterarum. Et licet sensus litteras, non litteræ sensum inveniunt, ornat tamen & ordinat inventio inventorem, tamquam de